Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26099
Copyright: Admont, Benediktinerstift

rebellante sedechia iterum uenit rex babylonis. et suc
cendit nabuzardan princeps exercitus domum domini. et do
mum regis. omnemque domum conbussit igni. et muros ierusalem
in circuitu destruxit. Nam inquit in igne dominus. id est non dum templo
exusto et ciuitate destructa tempus erat dominici aduentus.
Et post ignem sibilus aure tenuis. et ibi dominus. Sibilus aure te
nuis. occultus et secretus fuit aduentus domini. quia quasi de au
ra tenui. id est de spiritu sancto MARIA uirgo concepit. Fuerunt autem
a predicto tempore usque ad commotionem. id est a captiuitate .x. tribuum
usque ad primam filiorum iuda transmigrationem anni circiter .c. xx.
vii. Qui supputant hoc modo. Anno .vi. ezechie transtulit rex
anni assyriorum israel in assyrios. Ipse autem ezechias .xx. viiii. annis
regnauit in ierusalem. Ergo regni eius residui erant .xx. iii.
Qui iuncti cum .l. v. annis filii eius manasse. ac duobus filii eius am
mon. atque triginta uno iosie. ac deinde annis .xi. eliachim.
qui dictus est ioachim. tandemque tribus filii eius ioachim fiunt .c. xx. vii.
Ab illa commotione usque ad ignem. id est a prima transmigratione usque
ad templi et ciuitatis exustionem fuere anni .x. regni sedec
hie. Ab illo igne siue captiuitate usque ad sibilum aure te
nuis. id est christi aduentum. quot anni interessent. danieli his uerbis
reuelatum est. Septuaginta ebdomades adbreuiate sunt super
populum tuum. et super urbem sanctam. ut consumetur preuaricatio et
finem accipiat peccatum. et deleatur iniquitas et adducatur ius
ticia sempiterna. et impleatur uisio et prophetia. et unguatur
sanctus sanctorum. et cetera. Nimirum eo tendebat helyas ut deleretur
iniquitas per christi aduentum. et adduceretur iusticia sempiterna.
quando abundante iniquitate se solum relictum esse putabat. .xii.
66 Iuxta anagogen spiritus ante dominum euertit montes. et petras
conterit. quia pauor quem ex aduentu illius irruit. et altitudinem
cordis nostri deicit. et duriciam liquefacit. Sed spiritu commotionis